

Prot. n. 47516/13 CA
ORDINARIATUS MILITARIS
Amotionis cappellani militaris
(Rev.dus N. – Congregatio pro Clericis)

Decreto die 22 iunii 2012 lato, Exc.mus Ordinarius Militaris ab officio cappellani militaris Rev.dum D.num N. amovit sive ob modum agendi qui ecclesiasticae communioni grave detrimentum vel perturbationem afferat (cf. can. 1741, n. 1) sive ob bonae existimationis amissionem penes probas et graves personas (cf. can. 1741, n. 3).

Remonstracione die 26 iunii 2012 frustra porrecta, Rev.dus N. recursum hierarchicum penes Congregationem pro Clericis proposuit, quem die 2 octobris 2012 reiecit.

Provocatione ad H.S.T. die 4 ianuarii 2013 exhibita atque actis a Congregatione pro Clericis pro examine praeliminari exquisitis iisque receptis ac diligenter rimatis,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;

Praemisso quod Exc.mus Ordinarius militaris in casu proceduram in parochis amovendis ad normam cann. 1740-1747 adhibuit, quae quidem praescriptis quoque can. 193, § 2 plene satisfacit, iuxta pernotum adagium “quod abundat non nocet” (cf. decretum Congressus diei 16 iunii 2005, prot. n. 34325/03 CA, p. 2);

Perspecto quod, procedura de qua in cann. 1740-1747 adamussim servata, vix ne vix quidem quaestio fieri potest de iure defensionis denegato vel de violatione legis in procedendo quoad idem ius;

Considerato relate ad assertas violationes in decernendo quod:

- iuxta communem H.S.T. iurisprudentiam illegitimitas decreti impugnati declarari nequit si una saltem ratio allata par ferendo decreto probata est (cf., exempli gratia, decretum diei 17 septembris 2009, prot. n. 42790/09 CA);

- bonae existimationis amissio penes personas probas et graves, uti ceterum omnes causae de quibus in can. 1741, censetur par ad amotionem, quin ad rem de culpa gravi ipsius Rev.di Viri amovendi quid referat;

- personae, penes quas bona existimatio amissa est, non numerantur sed ponderantur, uti apprime ex praescripto can. 1741, n. 3 apparet, praesertim cum bonae existimationis amissio quodam documento nitatur, in casu nempe registrationibus magnetophonicis descriptis;

- ad proceduram administrativam seu disciplinarem de qua in casu non spectat delicta perseguere poenasque infligere nec de asserta illegitima laesione bonae famae investigare;

- ipse Rev.dus Recurrens bonam suam famam laesam fuisse passim asserit, uti, exempli causa, in recursu ad H.S.T. relate ad transmissionem atque explicationem registrationum de quibus ad auctoritates militares;

Pro comperto, proinde, habito, quod recursus ex rationibus sive in procedendo sive in decernendo allatis indubie et evidenter nullo fundamento gaudet;

Praetermissis aliis in casu forte animadvertendis;

Auditis Rev.mis Promotore Iustitiae et Promotore Iustitiae deputato;

Vi art. 76 *Legis propriae* qua H.S.T. regitur,

decrevit:

Recursum in limine reiciendum esse et facto reici, utpote indubie atque evidenter fundamento destitutum.

Et notificetur iis, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Adversus hoc decretum datur recursus, motivis suffultus, ad Congressum intra terminum peremptorium decem dierum ab hoc decreto recepto (cf. art. 76, § 3 *Legis propriae* H.S.T.)³.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 9 decembris 2013.

✠ FRANCISCUS DANEELS, O.Praem., *Secretarius*

MARIUS LEITE DE OLIVIERA, *Vices Praepositi Cancellariae agens*

³ Non è stato interposto ricorso al Congresso.